



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Inductio de objecto huius Tertiæ Partis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)



Ad Tertiam Partem D. Thomæ  
D E  
INCARNATIONE VERBI DEI.

INDUCTIO.

*De Obiecto huius Tertiae Partis.*

**R**iusquam ad primæ quæstionis explicationem accedamus, enodanda sunt quedam præludia præmij loco.

DVBIVM I.

*Quod sit obiectum seu materia huius Tertiae Partis?*

**R**espondeo, hæc pars continet tres Tractatus, qui diuersam habent materiam subiectam. In primo, agitur de Christo Redemptore generis humani, diuinâ humanâque naturâ constante, eiusque excellentiâ, meritâ, & satisfactionibus, aliisque humanitatis mysterijs, vsque ad quæst. 60. In Secundo, de instrumentis quibus redemptionis meritum nobis applicat, nosque iustificat: quæ sunt septem Sacramenta. In Tertio, agit de resurrectione, vitæque beata; quæ est finis nostræ redemptionis & iustificationis.

Itaque primi Tractatus obiectum, est Christus Deus & Homo; quia hic agitur de admirabili illa vnione, qua effectum est vt eadem persona esset Deus & homo; & de ijs, quæ ex hac vnione tanquam proprietates quedam sequuntur. Non tamen hic agitur de omnibus quæ ad naturam diuinam & humanam pertinent, sed illa supponuntur ex 1. parte. Vnde hæc tractatio ordine doctrinæ posterior est 1. parte, in qua de diuina & humana natura seorsim agitur. Posterior etiam est parte 2.; tum quia tractatio finis, prior est tractatione mediorum: atqui causa finalis Incarnationis fuit liberatio à peccatis, collatio gratiæ, & virtutum, & beatitudinis; de quibus agitur in parte 2.; tum quia consideratio eorum quæ naturâ suâ nos ordinant in finem vltimum, prior est, quàm quæ solum ex positua Dei ordinatione ad salutem disponunt.

Dices, Christus Dominus est quid singulare; de singularibus autem non est scientia, vt dicunt Philoſophi: ergo Christus non est obiectum huius scientiæ.

Respondeo Primò, Theologia considerat communem rationem vnionis hypostaticæ contentam in hoc indiuiduo; quæ ratio est communibilis multis: Deus enim omni creaturæ rationali hypostaticè vniri potest; sicque Theologia considerat illud singulare, sub ratione formali vniuersalis.

Respondeo Secundò, De singularibus potest esse fides, quatenus subsunt diuinæ reuelationi:

& ita ex illis tanquam ex fidei principijs possunt colligi necessariè conclusiones modo scientifico.

Addo, Multa tractari in Theologia, non tam modo scientifico, quam historico; vt sunt, gesta Christi & Sanctorum; & multa facta diuinæ potentia, quæ per modum exemplorum vel rerum mirabilium adducuntur; vt ex illis mores informantur, vel diuinæ perfectiones meliùs intelligantur. Huiusmodi ferè sunt quæ habet D. Thomas à quæst. 27. vsque ad 60.

DVBIVM II.

*Quomodo diuidatur hic Primus Tractatus qui est de Christo?*

**R**espondeo, In quinque Partes. Prima est, De vnione Verbi & humanæ naturæ, & de ijs quæ hanc vnionem sequuntur. Secunda est, De natiuitate eius seu ingressu in hunc mundum. Tertia, De progressu vitæ illius, miraculis, aliisque operibus. Quarta, De morte Christi, seu egressu ex hoc mundo. Quinta, De regressu ad Patrem; resurrectione, ascensione, sessione ad dexteram Patris.

DVBIVM III.

*Vtrum hoc mysterium conuenienter dicatur Incarnatio?*

**R**espondeo, Etsi olim quidam Catholici veriti sint vti hac voce, vt ait Athanasius sermone de Deipara, ne viderentur sentire cum Apollinaristis Christum solum carnem sumpsisse sine anima rationali, tamen recepta est ab Ecclesia & Patribus, saltem à tempore Concilij Nicæni, in cuius Symbolo habetur, *Et incarnatus est*, & deinceps positum est in aliorum Conciliorum Symbolis. Omnes etiam Patres ea voce vtuntur. Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 2. Ambrosius toto libro de Dominicæ Incarnationis Sacramento. Augustinus lib. 10. de Ciuit. cap. 29. Cyrillus lib. 1. in Ioannem cap. 15. Vocatur etiam à Græcis *εἰσαρκωσις*, id est, *Inhumanatio*: ita Inhumanatio, Damascenus lib. 3. cap. 6. & cap. 11. de Orthodoxâ fide: & Concilium Ephesinum in epistola ad Nestorium. Vocatur etiam aliquando *Corporeatio*: ita Tertullianus libro de carne Christi; vt Hilarius.

1  
Diuiso  
Tertiae  
partis.

Obiectum  
Tractatus  
de Incarna-  
tione, est  
Christus  
vt Deus &  
Homo.

2  
Quomodo  
de Christo  
possit esse  
scientia.

4  
Incarna-  
tionis di-  
uersa no-  
mina.

Corpore-  
ratio: vt  
110.



2 **Quæst. 1. De conuenientia Incarnationis. Art. 1. Dub. 1.**

<sup>5</sup> **Conuenientissimè dicitur Incarnatio.**  
 Aduerte tamen, nomen Incarnationis esse conuenientissimum. Primò, quia Ioannis 1. vers. 14. dicitur *Verbum caro factum est*: quod nihil est aliud, quàm Verbum Incarnatum. Vbi nomine carnis, iuxta phrasim Hebræam, intelligitur totus homo: sicuti Lucæ 3. vers. 6. *Videbit omnis caro salutare Dei*; id est, omnis homo. Genes. 6. vers. 12. *Omnis caro corruperat viam suam*. De quo vide D. Augustinum in Enchiridio cap. 34. & lib. 14. de Ciuit. cap. 2.

Secundò, Quia indicat id quod videbatur difficilium, & magis à Deo alienum; vnde magis insinuat pietatem & amorem Dei erga homines, quàm alia nomina: quare meritò 1. ad Timoth. 3. vers. 16. dicitur *Manifeste magnum esse pietatis Sacramentum, quod apparuit in carne*.

Tertiò, Quia caro includit animam; non enim assumpfit carnem mortuam, sed viuam.

<sup>6</sup> **Vocatur etiam Oeconomia.**  
 Porro, nomen *Oeconomia*, quo etiam multi Patres in hac materiâ vtuntur, potius significat ipsam Dei extraordinariam ordinationem, & dispensationem; qua constituit assumere naturam humanam, & in eâ salutem nostrâ operari, quàm ipsam Incarnationem. Sed Incarnatio est effectus illius *Oeconomia*; quam ob rem etiam interdum *Oeconomia* dicitur.

**DVBIVM IV.**

*Vtrum hæc Tractatio præstantior sit cæteris Theologia partibus?*

<sup>7</sup> **R** Espondeo, Esse præstantiorem, excepta eâ quæ est de diuina natura, & personis diuinis.

Ratio est, Quia Incarnatio est excellentissimum diuinorum operum, omni sermone ineffabilis, omnique intelligentiâ ignota; scilicet comprehensuè; vt ait Dionysius lib. de Diuinis Nominibus c. 2. Vnde post Trinitatis mysterium nihil sublimius Incarnatione Verbi.

Secundò, Quia sicut diuinitas est vniuersalis causa salutis nostræ efficiens, ita Christus incarnatus est vniuersalis causa meritoria, ex qua omnia media, quibus ad vltimum finem peruenimus, dependent: ac proinde præstantior est eius tractatio, quàm omnium mediolorum.

Hinc sequitur, Eam esse maximè propriam Theologiæ Christianæ. Cuius signum est, quòd licet gentiles Philosophi, multa de ijs, quæ ad alias Theologiæ partes pertinent, disputauerint, vt de natura diuina, de creatione mundi, de Angelis, de virtutibus & vitijs; tamen nihil vquam de mysterio Incarnationis cognoscere potuerunt. Aded illud proprium est Christianæ Theologiæ. Quare Augustinus lib. 7. Confess. cap. 9. legisse quidem dicit se in libris Platoniorum: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, & omnia per ipsum facta sunt*, nunquam tamen se legisse, & *Verbum caro factum est*. Similiâ habet Augustinus lib. 10. de Ciuit. cap. 29. Nec mirum, quia gentibus hoc mysterium stultitia videbatur, sicut & Iudæis ignominia; vt Apostolus ait, 1. ad Corinth. 1. vers. 23.

**Q V Æ S T I O P R I M A.**

**De conuenientia Incarnationis.**

*In sex Articulos diuisa.*

**ARTICVLVS I.**

*Vtrum conueniens fuerit Deum incarnari?*

**R** Espondetur affirmatiuè; Et Probatu testimonio Damasceni & Dionysij Areopagita.

Notandum est, Supponere D. Thomam Incarnationem esse possibilem: fortè ideo quia id directè probari non poterat; sed solùm poterant solui argumenta contraria; quòd fiet in sequentibus.

Occurrunt hæc quatuor Dubia.

**DVBIVM I.**

*Vtrum seposita redemptione generis humani, sit perse conueniens Deum incarnari? id est. Vtrum præter redemptionem generis humani, fini aliqua rationes, ob quas potuerit hoc esse conueniens?*

<sup>2</sup> **R** Espondeo esse. Probatu, Quia id est conueniens Primò, diuine bonitati: secundò, perfectioni vniuersi: tertiò, humanæ naturæ.

Quod diuinæ bonitati conueniens sit, Probatur; Quia boni est comunicare seipsum, vt docet Dionysius cap. 4. de Diuin. Nominib: ergo decet summum bonum, summè communicare seipsum: atqui hoc fit per mysterium Incarnationis: ergo decuit diuinam bonitatem carnem assumere. Vbi

Nota; Non esse de ratione boni, communicare se actu; sed esse sui comunicatiuum: id est, esse perfectum vt possit se communicare, & ad hoc habere quandam propensionem. Comunicare autem se actu, est signum bonitatis, & operatio illi maximè consentanea.

Petes; Quomodo comunicat seipsum summè in hoc mysterio?

Respondeo: Tripliciter: Primò, In genere causæ formalis: quia non aliquam perfectionem creatam & limitatam, sed suam increatam & imensam comunicat creaturæ; ita vt creatura incipiat esse immensa. Secundò, In genere causæ efficientis: quia creaturam facit esse Deum. Tertiò, In genere causæ finalis: quia maximè allicit nos, per hoc opus, ad sui amorem & studium. Vide D. August. in Enchiridio cap. 26. & lib. 10. de Ciuit. cap. 29. Explicatur exemplo: Si lux solis esset per se subsistens extra globum solis, & poneret seipsum efficienter & formaliter in ipso